

... et accessus per totum tiderianum debet habere, id est i. Sollemnitate dormitionis ejus honorari in medio veris per .m. dies et .m. noctes omni bono cibo praeter carnem, quasi Patr[icius] venisset in vita in hostium. n. 5 Offerlorium ejus proprium in eodem die immolari <sup>2</sup>. m. Ymnum ejus per totum tempus cantare. m. Canticum ejus scollicum (a) semper canere (b). Sic omnis .m. ista habere debet et reddi a monachis suis sibi, qui accessum fundavit vel monasterium, et qui habet parochiam et regiones multas, <sup>10</sup> .m. praedicta habere debet in honore.

Finit hoc breviarium gentis, nominis, genealogiae, pueritiae, captivitatum, virtutum, christiana servitulis, documenti, industriae, maledicti in peccatores, benedictionis in pios, aetatis. Quae omnia, in Deo gesta, ab antiquis peritissimis et adunata atque collecta sunt.

<sup>1</sup> sic; lege quaternum. — <sup>2</sup> In margine signum 2. Forzan ad *lin. prae. spectat.*

S. Patricii. Eo magis mirum apparet id pratermissum esse a Toddio ubi ex professo agit de missione Romana S. Patricii, quod ipse hunc locum Tirechani memorat ubi loquitur de Palladio (op. cit. p. 289). — (a) Cfr. I. I. *Analect.*, pag. 580, num. 5. — (b) In margine paulo inferius adscripta haec duae voces: *Ymnus Comanulo* (vel *Colm-nullo*). Lincola vocis superposita videtur indicare vocem hibernicam (cfr. supra in fine *Præf.* nostræ). Ni conjectura fallor, legenda est *Colm-anulo = protectio clamoris* (*nuail* gen. *nulo*, ut *duil* gen. *dulo*, *bial* gen. *bela*; cfr. Zeuss, pp. 270, 261), ac proinde synonyma vocis *Faeth Finda*, quo titulo notus erat hymnus [Vit. Trip. Lat. ap. Colgan, *Tr. Th.*, p. 126], quamque recte interpretandam censuit et. Whitley Stokes *clamor custodis*, potius quam *clamor* (vel *instructio*, O'Reilly Dict.) *hinnuli* (cfr. Windisch, *Irische Texte*, p. 525, v. *faed* et p. 546, v. *fad*, 3). Vid. et Crowe, *Guardian's Cry of St. Patrick*, in *Kilkenny Archæol. Journal*, pp. 286, 297. Cfr. et Canticum in *Libro Ballymolae* quod sic incipit: *Nuall fir fia for sit*, i. e. Glamor viri protectionis in via.

(Reliqua edentur in fasciculo sequenti.)

## TRANSLATIO

# S. GERMANI PARISIENSIS

ANNO 846

SECUNDUM PRIMÆVAM NARRATIONEM.

E CODICE NAMURCENSI.

Duplicem S. Germani ex monasterio quod in suburbio Parisiensi ejus nomine dedicatum erat, translationem annis 846 et 857 occasione duplicitis irruptionis Normannorum factam, et miracula que ad gloriam sancti patroni in utraque operari dignatus est omnipotens Deus, libris duobus non semel editis (1) descripsit extremo seculo IX Almoinus, ejusdem cornubii monachus, usus duabus relationibus antiquioribus (2), quae hactenus laquierunt. Contigit nobis earum alteram, qua continetur priori tantum relationis historia, a monacho coaudo, qui eadem interfuit, composta, reperiisse in codice Namureensi 53 (3). Hanc in Appendicem ad Catalogum nostrum codicem Namureensem telegare visum non est, sed honoratore loco et majoribus typis hic exhibere, utpote principi quoddam momenti documentum. Quo autem facilius ejusdem comparatio cum Almoini scriptione institui valcat, ad singulos nostræ editionis numeros notavimus quenam eisdem singula partes Almoinalia lucubrationis respondeant. Ubi adverteret diligens lector nihil ab Almoino adjectum esse primaria relatione, nonnulla vero suppressa, et presertim leviori calamite perstricta quam *anonymous* scriptor candidius et vehementius conquestus fuī (4) de ignavia Francorum illius temporis, turpi fuga a Normannorum agmine dilapsis.

(1) Cfr. *Histoire littéraire de la France*, tom. V, p. 616. — *Act. SS.*, tom. VI Maii, p. 796 sqq. — (2) Almooin, præf. (*Act. SS.*, tom. cit., p. 797 a). — (3) Cfr. *Analect. Boll.*, tom. I, p. 519. — (4) Infra, numm. 3 et 12. Cfr. Almooin, lib. I, num. 4, ante med. (p. 797 d, e).

¶ (1). Plura quidem et stupenda miraculorum signa dignaque<sup>1</sup> relatu omnipotens Deus per beatum Germanum, venerabilem Parisiacae urbis anfistitem, praeteritis ac nostris dignatus est patrare temporibus, quae ob inertiam alque incuriam sunt scriptorum omissa pressaque silentio, et que<sup>2</sup> audientibus ac legentibus, si scriberentur, ad suarum salutem plurimum prodesse poterant animarum. Nunc autem ea quae noviter cunctarum rerum redemptor per eundem sanctissimum virum Germanum est operari dignatus, auxiliante Domino et meritis ejusdem præcipui confessoris Christi juvantibus, jubente Ebroino, divina largiente gratia antistite rectoreque hujus monasterii pio, conamur scribere, et que non solum iam in christianorum, verum etiam in paganorum et maxime Normannorum vulgata sunt populo, licet incomplo atque ineruditio, tamen veraci sermone conscriptionis stilo placuit tradere, et tam præsentibus quam futuris populis que veraciter gesta sunt, relegenda relinquere.

¶ (2). Igitur anno incarnationis Domini nostri Jesu Christi DCCCXLV, regis autem præcellentissimi Karoli sexto, cum regnum Francorum post obitum Ludovici imperatoris varias divisum esset in partes, et cum peccata populi crescerent ac multiplicarentur in terra, et sanguis sanguinem tangeret, clamorque pauperum ac viduarum, orphanorumque atque pupillorum, qui injuste et absque misericordia ab inquis seu perversis hominibus, seque potentioribus, sive qui eos defendere debebant, opprimebantur, ad celos usque concenderet, et ad aures nostri conditoris atque redemptoris veniret, qui per prophetam suum loquitur, dicens: Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei; universusque religiosorum ordo iam penitus in Ecclesia confunderetur, atque a bonitatis et sanctitatis studio permutaretur, regum videlicet, episcoporum, monachorum, canonicorum seu laicorum, omnesque prope a justitiae via aequitatisque tramite exorbitarent, et per abrupta<sup>2</sup>

<sup>1</sup> ita corr. pro terro abrasi. — <sup>2</sup> cod. arropta.

(1) Aimoin. lib. i, prolog. pars posterior (*Act. SS.*, tom. VI Mail, p. 797 c). — (2) Ibid., num. 1, phrasis prima (p. 797 d).

carnalium desideriorum præcipites et absque jugo Christi incederent, innumeraque peccatorum genera, si dici fas est, christiano redundant in populo, cum opera christianitatis pietatisque deessent, paucique ex tanta populi multitudine afforen qui ad pium ac misericordem Deum, neminem volentem perire, saltem post perpetrata tot tanta reverti cuperent mala, atque ut dignum erat ex reatus sui peccamine veram agere pœnitudinem, Deo permittente flagitiisque exigenibus actum est nestris, ut externe nationes e propriis egraderentur sedibus, suamque quia nati et educati fuerant, relinquenter patriam, videlicet gens Danorum, id est copiosus exercitus Normannorum, superbo tumentique corde, cum valido navium apparatu, christianorum fines contingerent atque intrarent: quod retroactis temporibus, quando miserors Deus illius præcepta servante suo fuit cum populo, nequaquam factum audivimus sed neque relegimus. Cognovimus etiam Israëliticum populum propter peccata sua crèbrius afflictum atque in Babyloniam vel Aegyptum, longissimas a suis finibus regiones, ductum, in manusque inimicorum suorum saepius traditum<sup>1</sup>, sed tamen a pio ac clementissimo Deo ad ipsum in tribulatione clamantem non omnimodis derelictum. Nos autem quoniam Deum offendimus habuimus et ejus jura atque præcepta servare contempsimus, excitavit idem velut pius pater quorumdam corda gentilium, supradictorum scilicet Normannorum, ut nos pro immunitabili delictorum nostrorum pondere, ad correptionem atque emendationem nostram affligerent, et non ad perpetuam, si ad illum toto corde reverti volumus, condemnationem.

¶ (1). Illi autem e finibus suis cum magna egressi superbia, coperunt praedando per diversas insulas discurrere maris, quo usque fluvium Sequanae ingrederentur. Ubi non invento populo, ut antiquitus moris erat, qui eis bellando resisteret, deos suos invocantes atque laudantes, christianorum vero Deum blasphemantes, hinc inde e navibus exeuntes, multa

<sup>1</sup> deinceps hic adscripta est in margine rox cognovimus.

(1) Aimoin. num. 1, phrasis secunda.

innumeraque ob ingentia iniquitatum nostrarum facinora in populo christiano peregerunt mala; donec Rodomis<sup>1</sup> venient, diuque optato fruerentur portu. Ibique similiter non reperto exercitu qui contra eos bella committeret, haud modice laetati sunt. Tunc cum magna lætitia et exultatione cordis ipsam civitatem ceperunt, et fecerunt in ea quæcumque voluerunt. Sed quia hoc permissu Dei ita factum est, nostris debemus imputare peccatis. Quod omnino agi nequisset, nisi coram Deo graviter offensi fuissimus. Omnes enim principes bellatorum qui ipsam incolebant terram (quod absque ingenti gemitu ac contritione cordis effari nequimus), magis se ad fugiendum quam resistendum, nimia perculti formidine, præparabant. Nec mirum si populus erga Deum peccans operaque christianitatis non servans, ante suos fugere compulsa est hostes. Tamdiu enim quis inimicis christiani valebat resistere nominis, quamdiu cœlorum rex atque terrarum ejus mentis ac corporis inhabitator extiterit. Ipse<sup>2</sup> namque in quadam sacri Evangelii loco ait: Sine me nihil potestis facere. Sed quoniam ejus monita servare contempsit, ante suos hostes stare non potuit.

**¶ (1).** Praedicti etiam Normanni diu in eadem civitate morantes, christianum populum ad bellandum pigrum atque inertem fore putantes, e propriis navibus exierunt, et longe lateque diffusi, nemine resistente, cœperunt utriusque sexus populum captivare ac trucidare, monasteria devastare, ecclesiás seu villas quas attingere poterant, depopulari sive concremare, pecora depredari, et cum omni crudelitate in populo quondam Dei debacchari, suamque in eum ob enormitatem peccatorum exercere libidinem. Cumque cernerent quoniam pugnando nullus eis resisteret, sumpta audacia immensaque inflati superbia, per alveum Sequane (quod post creationem mundi nec legimus nec audivimus fore patratum), plurimas strages, ut supradictum est, ex Dei populo circumquaque faciendo, Parisius pedetentim propinquare cœperunt.

<sup>1</sup> Aimoin. Rotomaco. — <sup>2</sup> Ita corr.; prius ipsa.

(1) Aimoin. num. I, phasis tertia.

**5.** Nos vero, cum iam certi essemus, missis nostris sc̄epiis nuntiantibus, quod nostras devenirent in partes, nullumque præter Deum ac beatissimum Germanum seu celerorum sanctorum patrocinia qui nos nostrumque defenderet monasterium haberemus, præsertim cum præcellentissimus rex Karolus non adasset, Ebroinus vero, antistes egregius piusque hujus monasterii pastor, in Aquitaniam ob impestrandam pacem, pro qua semper certare non cessat, directus esset, cœpimus cum ingenti suspirio intra nos cogitare quidnam agere debuissemus. Consilium vero ab episcopo ad cuius dioecesim pertinemus, et a reliquis bonis hominibus vicinis nostris qui in eadem positi erant angustia, querentes, dederunt nobis bonum, sicuti postea comperimus, valdeque salubre, ut, quemadmodum ipsi ex sanctorum corporibus quæ penes se habebant et ex apparatu ecclesiarum Dei agerent, ita et nos ageremus, videlicet ut domini Germani, confessoris Christi, venerabile corpus effodissemus, et omnem ecclesie apparatus ex ipsa, non ad proprios usus (quod absit), sed ad salvandum abstulisset: quod ita et fecimus.  
**20** Nam qua lingua effari valet quive facundus exprimere sermo, qualis tunc vel quantus in eadem ecclesia extitit luctus quantaque lamentatio, quando venerabile sepulcrum super beatissima ohni Germani ossa ex nuro gemmisque atque argento mirabiliter fabricatum destrui videbatur, altaria dissipari, reliquaque ornatus ex ipsa ecclesia ad auferendum manibus confrectari. Flebant nempe senes et juvenes, flebant pueri et infantes, omnisque monachorum chorus sese a lacrimis temperare non poterant. Cumque metus Normannorum ingens fratres ipsius invaderet monasterii, putantes se ab ipsis subito atque improvise, ut rumor erat populi, occupandos, professi sunt omnes, a minimo usque ad senem, se magis velle corporaliter mori, quam sanctissima ossa piosque cineres egregii confessoris Christi Germani ibi deserendo relinquere, et ab impia Normannorum gente deferri.  
**35** **6.** Tunc auxilio omnipotentis Dei meritisque beatissimi Germani confortati atque roborati, cœperunt viriliter humum que super sanctum sepulcrum ejus posita erat, effodere,

quatenus cito ad sanctissimi viri corpus pervenire valuerint. Factum est, Deo miserante optimisque meritis presulis Christi suffragantibus, ut cum omni celeritate ad ipsum sacratissimum veniretur sepulcrum. Illud autem cum magno metu ac tremore aperientes alque tractantes, viderunt cuncti fratres hujus monasterii qui illuc aderant, beatissimum alque sanctissimum corpus in eodem jacere sepulcro, quod, postquam ibi positum fuit, nullus hominum vidit neque unquam videre putavit. O quisnam talia cernens, licet lapideum pectus ferreaque viscera gerens, sese tunc in effusionem non erumperet lacrimarum? Postquam autem illuc ab ingenti gemitu ac ploratione cessatum est, accessit custos ejusdem ecclesiae ad venerabile sepulcrum alterque frater ipsius monasterii, merito ut creditur sanctitatis ornatus, posueruntque beata membra cum omni diligentia et timore in sindone munda, ac pallio involuta atque in serinio condita, miseruntque ea cum laudibus et hymnis super altare beati Stephani protomartyris, fratribus ejusdem monasterii instar coronae altare cingentibus et tota mentis intentione laudes Christo Domino decantantibus.

20

*Cereus extinctus meritis ejus reaccenditur (1).*

7. Illud quoque miraculum quod ibidem per merita venerandi antistitis Germani cunctipotens Deus his qui aderant, est dignatus ostendere, si silentio premeremus, credimus grande fore piaculum. Nam cum hinc inde cerei manibus puerorum tenerentur ardentes, casu accidit ut unus eorum quem puer in dextera parte stans in ea que tenens, in terram rueret, lotusque amissio proprio extinguetur lumine. Quem a solo ipse cum omni relevans velocitate, correplu<sup>25</sup>s a quodam fratre pro sua negligentia cur eum melius ac firmius non teneret, continuo isdem puerulus cum omni festinatia lumen ab altero mutuari cupiens, meritis domini Germani,

<sup>1</sup> add. a corr. — <sup>2</sup> ita corr.; prius quam.

(1) Almoine. num. 2 (p. 793 a, b).

patris nostri, actum est, ut in manibus ejusdem pueri cereus illuminaretur extinctus et omnibus coram astantibus ardens ac rutilans appareret. Unde fratres ipsius monasterii gratias Deo innumeratas referentes, et merita almi Germani, que tam in caelis quam in terris clara sunt, collaudantes, cooperunt magis in psalmodiis Deique laudibus esse intenti, et hoc quod saeculum fuerat, illis qui non viderant, instantissime praedicare. Tota autem die illa <sup>1</sup> ac nocte thesaurus ecclesie in navibus ponitur, in quas die crastina quidam fratres ipsius monasterii ingredientes, quidam vero ad venerabile corpus summi pontificis Germani servandum atque custodiendum in monasterio remanentes, timore magno ac terrore concussi, a facie Normannorum per alveum Sequantae tristes ac inerentes fugere cooperunt.

8 (1). Venerabile namque corpus beati presulis Christi Germani quod in monasterio dimissum est, postea propriis humeris monachorum cum honore et reverentia ad ipsius sancti villam que dicitur Cumbis, delatum est; nec non et cetera sanctorum corpora qui in hac regione multo jacuerant tempore, e propriis effossa sepulcris, propter metum supradictorum Normannorum alias sunt deportata, praeter corpus beatissimi martyris Dionysii ceterorumque <sup>2</sup> sanctorum qui in eodem monasterio condigno quiescent honore. Quae licet ex propriis essent effossa sepulcris, tamen praeceptione ac jussione domini Karoli, gloriosissimi regis, ad alium inde non sunt permissa deportari locum. Heu, quantu lamentatio monachorum, quantus clericorum atque laicorum luctus, quanta mulierum ac virginum, quanta senum vel infantium tunc extitit deploratio, nullus effari valet, videntes sanctorum corpora quorum meritis semper defensi erant et auxilio, a suis egredi finibus et ad alia asportari loca.

*Do mirabili fratum visione (2).*

9. Illa namque visio que quibusdam fratribus hujus monasterii visa est nocte eadem qua beatissimum Germani

<sup>1</sup> cod. ille. — <sup>2</sup> que add. a corr.

(1) Almoine. num. 1 extr. (p. 797 f. 798 a). — (2) Num. 3 (p. 798).

corpus effossum est, antequam aurora subsequentis apparet diei, ut nunc dicatur omissi non debet. Cumque ad fluvium Sequanæ pro quibusdam utilitatibus ipsa nocte quidam pergerent fratres, indeque ad monasterium remearent, apparuit eis tam immensus claritatis splendor super eam partem ecclesie qua ejusdem sanctissimi viri corpus positum erat, ut eadem ecclesia igne cremari putaretur, claritatique aequaliter diei. Ipsi quoque cum intra se nimium mirarentur et eorum corda ex hujuscemodi visione stupefacta essent, venientes ad monasterium, scisitati sunt si aliquis fratribus cum lumine super ipsam ecclesiam fuisset. Nemine autem reperto qui super eam ipsa condescenderet nocte, cognoverunt visionem fore angelicam, divina virtute ac meritis almi Germani patratam, qui sua beatissima ossa piosque cineres non cessat crebrius invisere, eum quibus jam certus est aeternæ beatitudinis gloriam se cum sanctis omnibus in die tremendi examinis adepturum.

**De alia visione (1).**

10. Illud autem insigne miraculum quod ante biennium quo haec acciderent, cuidam monacho ac religiosissimo hujus monasterii viro, aetate moribusque grandario, ostensum est, minime oportet sieri. Cujus exempla actusque eximii si sequantur, sectatoribus suis plurimum professe poterunt ad salutem. Vedit isdem quadam nocte positus in sopore <sup>1</sup> beatum Germanum quasi de suo egrediente sepulcro, niveam canitiem preferentem, et expeditum, atque ad iter agendum quasi preparatum. Qui sciens beatissimum Deique famulum esse Germanum, interrogavit eum humili cum voce, si hinc discessurus esset. Cui ille respondit : *Scito me certissime ex hoc monasterio abiturum.* Quem rursus frater de quo loquimur interrogans, ait : *Domine, si tu ex hoc loco migraveris, nos postea tantilli famuli tui quid faciemus?* Cui inquit : *Et vos ex isto migrabilis monasterio. Tu autem firmissime et*

<sup>1</sup> cod. soporem.

(1) Aimo in num. 4.

*absque ulla ambiguitate cognoscas, quoniam ego ad hunc tempore opportuno remeabo locum, vosque similiter remeabitis.* Quam visionem postea veracissimam fore cognovimus, et in illo gloriosissimo viro Germano et in nobis exiguis famulis suis veraciter, quam in somnis isdem frater venerabilis videbat, adimplerat. Nam beata ossa ipsius ex hoc sunt monasterio quin dubium asportata ac reportata, nosque ex ipso fugiendo exivimus et cito ad ipsum auxiliante Deo meritisque ejusdem sancti juvantibus cum gaudio tripudioque magno reversi sumus. Ipse vero religiosus frater cui haec quae diximus revelata sunt, quibusdam fratribus qui adhuc supersunt narrando retulit, ipsique nobis quae ab illo didicerant, postea veraciter narraverunt.

**Item de alia visione (1).**

11. Aliud quoque miraculum quod cuidam fratri, Deo per omnia ut credimus caro, in eadem ecclesia revelante Christo patefactum est, silentio premere non debemus, quoniam cum praedicantur in populo miraculorum signa, magis magisque excitant ad amorem Dei corda torpentina, atque ad suffragia sanctorum amplius ac crebrius deposcenda. Quidam autem, ut supradiximus, religiosus hujus monasterii frater, cum post completorium cursum more solito peracto sive decantato reliqui fratres ex ecclesia exeuntes festinarent ad requiem, fessaque corpora post laborem diei in suis lectulis collocarent, sese ante sepulcrum beati Germani ad orandum projecit. Ibique cum diu colorum et totius mundi Dominum pro suis intento exoraret corde delictis, opeique atque intercessionem famuli Christi Germani ceterorumque sanctorum deposceret, quindecim diebus antequam ejus aperiretur sepulcrum, cum jam fama populi nostras veniret ad aures quod infinitus exercitus Normannorum ad monasterium nostrum esset venturus, mirabilis sibi non dormienti sed vigilanti ostensa est visio. Nam ab oratione ex terra qua

(1) Aimo in num. 5.

jacuerat, surgens, vidit sepulcrum confessoris Christi Germani, cum adhuc staret ut fabricatum erat, totum aperatum, intusque tanto claritatis lumen emitescere, ut corpus domini Germani, patroni nostri, in eodem cerneret jacere sepulcro, et omnia que in ipso erant, clara ac perspicua ipsius oculis apparerent. Quod postea, sicut ipse viderat, omnes qui affui-  
mus, factum aspeximus. Jam quippe suo famulo pius Domi-  
nus sanctusque Germanus volebat ostendere, quod post  
paucissimos dies peccatis nostris facientibus erat flendum.

**De bello Normannorum et Francorum (1).**

12. Revertamur nunc opitulanter Domino ad ordinem narrationis, a quo signa et miracula beati Germani narrantes paululum discesseramus. Supradicti igitur Normanni ita agendo ut memoratum est, et ab intentione prava quam mente conceperant, non cessando, ad Karoli vennum usque 15 pervenient. Contra quos praecellentissimus rex Karolus adveniens, jussit ut omnis exercitus regni sui ad bellandum eductus illuc confluere. Multus quidem et innumerabilis populus venit, sed non totus ut jusserat, affuit. Tunc praecepit ut una pars populi adversum eam partem in qua monasterium Dionysii, incliti martyris, situm erat, ad dimicandum secum remaneret, et altera pars que residua erat, ad alteram dimicandi gratia pergeret. Sed non omnes quibus jussum fuerat, abierunt, non plenam, ut putamus seu credimus, circa eum fidem servantes. Cumque hinc inde quasi 25 ad pugnandum infinitus staret exercitus, ipsi impiissimi ac crudelissimi Normanni, blasphematores Dei, ad opprobrium et derisionem regis principumque ejus seu omnium christianorum illie adstantium, centum et xi(2) captivos coram eorum oculis suspenderunt. Et quosdam per domos et plateas tru- 30 cidaverunt, quosdam arboribus suspenderunt, nullo ex tanta multitudine resistente. Quadam namque die ad eam ripam

(1) Almoin. num. 1 med. (p. 797 e). — (2) Hunc numerum ad \* plus minus unde-  
cim, contraxit Almoinus.

fluminis navigium declinantes qua Karolus, praecellentissimus rex, non erat, quidam eorum e navibus exeuntes, contra copiosum exercitum, sed non omnem ad pugnandum voluntarium, ire cooperunt. Videns enim hoc christianus 5 populus, galeatus ac loricatus, scutorum ac lancearum munimine tectus, alii per juga montium, alii per concava vallium, quidam per planitiem camporum, quidam vero per opaca silvarum, ante nudos ac pene inerines atque paucissimos homines (quod sine ingenti effusione lacrimarum dicere 10 nequimus), Domino eum pro peccatis suis deserente, in fugam versus est. Karolus namque, nobilissimus rex, cernens quod gestum erat, qui pro defensione sancte Dei Ecclesie mori paratus erat, tristis et moerens ac delicata peplora fundens, recessit.

**De incendio ab ecclesia sancti Germani meritis ejus repulso (1).**

13. His ita gestis, cellam fratrum quae contra prafatam vennum posita erat, cum valido impetu intraverunt. Sed illud miraculum quod ibi per merita sancti Germani Deus 20 est dignatus patrare, optimum fore putavimus si narretur. Nam in eundem cellam cum magna ingredientes superbia, ignemque ecclesiae sancti Petri, principis apostolorum, almicique Germani ter quaterque supponere nitentes, cum desicerent, easque incendere non valerent, ipsas ecclesias 25 claustraque ejusdem cellule dimitentes, horreum quod ibi fuerat <sup>1</sup>, cremaverunt. Ex quo tantus est flamarum globus egressus, ut quasdam arbores que ultra jam dictam cellulam erant, incenderet; easque ecclesias meritis sancti Petri atque beati Germani pontificis isdem ignis non ausus con- 30 tingere, intactas ut erant, per omnia dereliquit. Cumque ventus australis validissime flaret, totumque fere incendium super prafatam cellam projiceret, illico ventus septentriona-

<sup>1</sup> cod. fuerat.

(1) Almoin. num. 6 (p. 798).

lis fortiter flando surrexit, et omne incendium in alteram partem reflexit. Mirabilis Deus, qui tale ne tantum per famulum suum Germanum egit miraculum.

**De paganis in ecclesia sancti Germani percutientibus (1).**

¶ 14. Ipsi quoque increduli atque superbissimi Normanno-<sup>5</sup> rum populi, sese victores superioresque fore conspicentes, suaque virtute ac potentia arbitrantes subito christianorum obtinere regnum, cursu præpropero sabbato sancto paschalis solemnitatis Parisius venerunt, et ipsa quidem nocte siluerunt. Mane autem facto cum jam sol lucifluos emitteret radios <sup>10</sup> et propria totum illustraret lampade mundum, e navibus cum magno impetu proruperunt, civitatemque Parisius ob metum eorum vacuam et absque habitatoribus reperitam ceperunt, monasterium almi Germani intraverunt, atque Dei sanum reliquumque apparatum ecclesie qui ibi remanserat, in <sup>15</sup> quantum pro peccatis a Deo permisum est nostris, profaniis ac polluti manibus destruere ceperunt. Sed illa mira et stu-  
penda non debent reticeri miracula, que tunc ibidem totius mundi creator per merita Germani, gloriosissimi pontificis, ad laudem sui nominis est dignatus ostendere. Nam cum <sup>20</sup> trahem ipsius ecclesie perfidus atque miserrimus incideret populus, tres viri ex eorum numero deorsum ruentes et ante altare beati Stephani protomartyris invalidi confactique jacentes atque incredulas ac Deo odibiles animas exhalantes, perpetuis descenderunt ad umbras, ubi vermis eorum non <sup>25</sup> morietur et ignis non extinguetur. Quod miraculum ope atque intercessione almi Germani mirabiliter gestum, quoniam non interfuiimus, ignorabamus. Postea autem a fideli-  
bus missis Loduwici <sup>1</sup>, regis Bewariorum, quos ad regem Normannorum, Horich nomine, legationis causa direxerat, <sup>30</sup> et qui sibi ea quæ diximus fideliter narraverunt, ita ut effa-  
mur, actum esse cognovimus. Ipsi enim ea quæ Loduwico

<sup>1</sup> ita corr.; prius Luduwic. Similiter paulo inferius.

(1) Almoin. num. 7.

retulerunt, ne forte <sup>1</sup> frivole atque mendose videantur esse conflicta, ab ipsis audierunt qui tunc quando hæc gesta sunt in ipsa ecclesia fuerunt.

**De pagano in ecclesia sancti Germani divinitus castigato (1).**

¶ 15. Illud autem sumum et admirabile cunctisque stu-  
pendum quod tunc temporis in eadem ecclesia factum est  
miraculum, et quod postea per Cobbonem, illustrem ducem,  
hominem Ludowici, Bewariorum regis, agnovimus, minime  
debet legi silentio. Cumque Dei templum ab incredula spe-<sup>10</sup>  
dictorum Normannorum, in quantum illis a Deo culpis exi-  
gentibus permisum est nostris, depopularetur gente, et per  
ipsam ecclesiam huc illucque bacchando pleni mala discur-  
rerent voluntate, accidit ut unus eorum nefandissimo et sce-  
leratissimo ex numero ad pedes sancti confessoris Christi  
<sup>15</sup> Germani magna inflatus superbia deveniret, strictum gladium  
polluta gestans in manu, et columnam marmoream que  
ibidem orantibus ad dexteram stabat <sup>2</sup>, tredecies toto adnisu  
corporis percussisset, ita continuo ipsius manus dextera  
meritis domini Germani, cuius columnam incidit, arefacta est  
<sup>20</sup> et extensa, ut post illum diem usque ad infelicem ex hac vita  
discessum semper immobilis et arida permaneret. Manubrium  
autem ferri unde jam dictam columnam crebrius cum tumore  
mentis ac corporis percussit, ita manu <sup>3</sup> ejus adhaesit, ut  
nemo unquam ex ipsa aliquo ingenio aut arte nisi cum eule  
<sup>25</sup> et carne avellere <sup>4</sup> potuisse. Licet enim beatus Germanus  
absens jam corpore foret, tamen spiritu præsens aderat,  
ipsiusque Dei templum protegebat, quo per multa annorum  
curricula jacuerat, et <sup>5</sup> haud penitus derelictum habebat.  
Quis enim nunc illum in eodem loco quo corpore requiescit,  
<sup>30</sup> dubitet esse præsentem, quando ipsum nec corpore absens,  
virtutes in eo plurimas faciendo, oblitisci poterat?

<sup>1</sup> forte add. a corr. — <sup>2</sup> stabat supra lin. — <sup>3</sup> ita corr.; prius manu. — <sup>4</sup> prius  
avelli. — <sup>5</sup> et add. a corr.

(1) Almoin. num. 8.

16. Nec mirum si talia ac tanta per illum cunctipotens Deus in vita sua et post mortem, sicut in ejus gestis habetur, est dignatus operari miracula, cum antequam ex matris utero nasceretur, ita dilectus gratusque extitit illi, ut virtutem non modicam per eundem esset patrare dignatus. Multos enim sanctorum variis diversisque legimus virtutum floribus adornatos: hunc autem omnibus bonis quae aliis divise et per partes largiente summo opifice data sunt, mirabiliter novius decoratum. Longum est enim ac difficile per singula virtutes ejus retexere plurimas, quas per ipsum et legimus et audivimus auxiliante Deo perfectas. Quod si quis stellas cœli et pluviarum guttas arenamque maris enumerare valet, potest ejus miraculorum cognoscere signa. Sed quia locus congruit et tempus dictat opportunum, placet ex eodem beatissimo viro hoc in loco paucis ludere versibus (1):

Hic fuit egregia genitus de stupore parentum,  
Qui quondam terris, nunc super astra nitet.  
Oplat enim fragili si quis dum carnae manebat  
Nosse fuit qualis, hic sua gesta legit.  
Nam cœlos postquam concendit, quanta per ipsum  
Gesserit Omnipotens, promere lingua nequit.  
Linquitur hoc illi, bibulas qui solus arenas  
Ac pelagi guttas dinumerare valet.  
Hortor enim cunctos maculat quos actio vitæ,  
Ejus opem precibus poscere sepe suis.  
Debilis ad cuius venit si turba sepulcrum,  
Inde means rediit sana, favente Deo.

17. Nobis autem haec virtus postquam facta fuit, per quadriennium et eo amplius mansit incognita. Et quis nostrum eam scire poterat, præsertim cum nullus e nobis quando divinitus gesta fuit, præsens esse potuit? Præfatus autem Obbo<sup>1</sup>, venerabilis dux virque christianissimus, cœlesti tactus amore, causa orationis ac liberationis anime sue perrexit per diversa sanctorum loca, cupiens Turonis adire civitatem

<sup>1</sup> sic; corr. Cobbo.

(1) Hos versus Almoianus transtulit ad finem sui libri primi (p. 801).

ibique suffragia sancti ac beatissimi deposcere Martini. Cum autem coptum perageret iter, accidit ut ad nos usque nostrumque veniret monasterium. Qui tamdiu ante sepulcrum venerandi pontificis Germani solo recubans jacuit, ut inde madefactus guttulis surgeret lacrimarum. Is cum magnæ humilitatis reverentia seu cum gemitu ac lacrimis fratribus hujus monasterii qui præsentes aderant, cœpit referre quanta et qualia Deus in perfido Normannorum populo dignatus fuisset per beatum Germanum ostentare miraculorum signa.

Qui inter celera retulit illis hoc miraculum quod modo auribus vestris legitur, et qui ipsum hominem coram præsentia Horich, Normannorum regis, adstare vidit, cuius manus meritis almi Germani immobilis et arida permanebat. Ex cujus ore et istud et alia<sup>2</sup> que tunc temporis in ipsa ecclesia facta sunt miracula, licet sacrilego, tamen veraci relatione cognovit. Qui tamdiu nimia vexatione corporis cruciatus est, donec miserrimam exhalaret vitam, descendens plenus indignationis et iræ, manibus daemoniorum subiectus, ad tartareas sedes averni stolidumque lacum cocytii. *Ducite me, inquit,*

*ad sedes beatissimi præsulis Germani, ubi illa magna est fenestra, ostendamque vobis in ipsa columna quam nescio si unquam viderim, omnem rei veritatem quam vobis referens narro.* Qui confessum ad locum quo jusseral properantes, post completam orationem invenerunt in ipsa columna tredecim plágas incisionum quas homo perfidus et absque jugo Christi incidens ausus est facere.

18. Tunc ipse Cobbo et omnes qui viderant, admirati sunt, sermonibusque ejus veracissimis et absque aliqua fictione seu mendacio compositis, gratias agentes [ei]<sup>3</sup> qui talia per beatum Germanum dignatus est agere, crediderunt. Permanentque ipse plágæ percussionum in eadem columna fidis et infidis, credulis incredulisque in testimonium usque in hodiernum diem. Nos autem serviamus Domino Deo nostro totis viscerum præcordiis sanctoque Germano, quoniam, si fecerimus, impetrabit apud æternæ gloriæ regem post mor-

<sup>2</sup> cod. alias. — <sup>3</sup> om. cod.; suppletimus ex conjectura.

tem carnis et post modicum corruptibilis vitae tempus nos aeternaliter vivere. Insuper, quod nobis valde necesse est, si cupimus ad tantæ glorie fastigium feliciter attingere, habeamus inter nos pacis caritatisque concordiam. Quia si ea in nobis (quod absit) defuerit, hujuscemodi beatitudinis gloriam 5 adire nequibimus. Concedat nobis opifex totius mundi per merita et intercessionem domini Germani et hanc perfecte dum vivimus et post mortem habere caritatem, reliquasque virtutes quae ex hoc materno fonte descendunt, ut recto mereamur tramite ad illa invisibilia aeternaque bona feliciter pervenire. 10

**19 (1).** Aliud quoque quod tunc in eodem Dei templo factum est, operæ pretium fore credimus si narretur miraculum. Nam cum ipsum Dei fanum ab impiissima et crudelissima violatur gente, tanta subito nebulae est densitate repletum, tantoque sunt divinitus violatores ejusdem ecclesie terrore 15 concussi, ut vix ostia vel foræ per quas intraverant, invenire valuissent. Sicque factum est ut post illum diem in ipsam ecclesiam ingredi non auderent, neque sanctissimum templum Deoque dicatum profanis atque pollutis contingere manibus. Sed illud cum metu ac tremore nimio relinquentes, ab eodem Dei templo flagellati atque percussi quantocius recesserunt. Quorum corda ab illo die et deinceps ita sunt 20 meritis et intercessione domni Germani valido pervasa timore, et ita dysenteria vel variis morborum afflicti generibus, ut quidam eorum quotidie morferentur, nullusque ex 25 tanta populi multitudine infinitoque exercitu sese pularet evadere posse.

**20 (2).** Factumque est ibi grande miraculum. Nam cum quotidie plurima eorum pars moreretur atque desiceret, nullus christianorum quos penes se habebant, moriebatur. 30 Cumque hujusmodi cœlitus essent percussi formidine et varia morborum peste corrupti, paucis diebus in jam dicta civitate vel in eodem monasterio alii Germani morantes, legationis causa missos suos ad regem nobilissimum dirigunt Karolum, ut eos cum pace et absque intercessione sui 35

ad propriam unde venerant, redire permetteret patriam. Nemo quippe mortalium hujusmodi timorem eorum cordibus inserere posset, quatenus a finibus christianorum tam cito discedere vellent, nisi merita almi Germani ceterorumque 5 sanctorum afforent, pro quorum amore atque injuria incredulorum corda tali ac tanto sunt concussa pavore. His ita gestis, Ragenarius, dux incredulorum, cunctique principes ejus gloriosissimum regem qui tunc in monasterio egregii martyris Dionysii morabatur, adeunt Karolum, per deos 10 suos et per ea in quibus maxime se protegi ac salvari putabant, testantes ut, si eos illæsos abire permetteret, nequam ulterius fines ipsius regni contingerent neque intrarent. Ipsisque a præcellentissimo Karolo rege cum pace dimissis, pro evasione sui gaudentes atque lætabundi itinere 15 quo venerant, redierunt.

**21.** Illis autem e finibus christianorum ita recedentibus, fratribus monasterii alii Germani continuo nuntiatur, qui tunc in fluvio Jonæ contra Acmantum<sup>1</sup>, præfati monasterii villam, exules ac peregrini propriis exigentibus morabantur 20 culpis, quod Normanni quorum metu e suo egressi fuerant monasterio, a nobilissimo rege Karolo pace impetrata, suas unde digressi fuerant, reverterentur ad sedes. Tunc jam dicti monasterii fratres gratias omnipotenti Deo retulerunt, summique pontificis Germani merita laudaverunt, cuius ope 25 suffragioque actum est ut tam eito ad propria permetterentur<sup>2</sup> repedare loca, et cuius talis ac tanta erga suos famulos extitit pietas, ut non esset passus diu eos a propriis exulari sedibus, videlicet anno uno aut duobus mensibus, sed ad monasterium unde ejecti fuerant cum pace omnique prospe- 30 ritate ac thesauro salvo ecclesie quem secum habebant, intra breve temporis spantium fecisset reverti, quamquam non modica latrocinantum turba esset stipeius conglobata, que jam dictum ecclesiae beati Germani thesaurum et omnia quæ secum habebant, vellet auferre atque diripere; sed 35 nutu Dei meritisque ejusdem sancti ita consilium ejus

(1) Aimoin. num. 9 (p. 709). — (2) Num. 10.

<sup>1</sup> ita, ut videtur; forte Acmantum. — <sup>2</sup> duæ priores syllabæ (permitit) suppedita a corr., aliis abrasis.

fatum<sup>1</sup> imprudensque dissipatum est, ut quod pravo conceperat corde, perfidere penitus non valeret. Ingressi quoque monasterium, invenerunt illud ab incredula paganorum gente magna ex parte destructum. Sed Deo favente tanta ibidem reperta est copia vini (quod nullatenus credi poterat),<sup>2</sup> ut usque ad novum, omnibus ejusdem monasterii fratribus ex ipso quotidie resipientibus sufficere quivisset. Quis unquam mortalium crederet quod post infidelium populum abcessum ibi aliquid debuisse residere vini? Cumque ex eo quotidie biberent, eorumque corpora more solito reficerentur, cunctipotenti Deo non modicas gratias rependebant, atque veneranda piissimi patris Germani p̄econia collaudabant, cuius intercessione actum est pia, ut in ipso monasterio ab impiissimo populo diu possesso hujusmodi abundantia remaneret vini.

**22 (1).** Illud autem quod in eadem ecclesia gestum est, postquam plurima pars fratrum ab exultatu ac peregrinatione ad monasterium reversa est, silentio premere non debemus. Quadam namque nocte cum custodes ipsius ecclesie dormirent, antequam signum pulsaretur, fratresque ad referendas Deo laudes more solito excitarentur, auditur a custodibus ejusdem ecclesiae ante altare beati Stephani strepitus demoniorum ingens, putantes ibidem latronum versari insidias. Qui confestim e lectulis suis surgentes, et ad eum quo sonitus audiebatur locum properantes, huc illueque aspicientes, cum neminem reperissent, intellexerunt fraudem fallaciamque daemoniorum esse, qui propterea quod ipsum Dei templum a gentibus Christum non cognoscentibus pollutum fuerat, locum intraudi in illud habuerunt. Sed postquam pia membra summi antistitis Germani ad eamdem sunt relata ecclesiam et in suo reposita loco, precibus ac meritis ipsius sancti obtinentibus, hujusmodi strepitus non est in ipsa ecclesia spirituum immundorum auditus.

**23 (2).** Nunc etiam ea miraculorum signa auxiliante Domino

<sup>1</sup> add. a corr.

(1) Aimoin. num. 11 (p. 799). — (2) Num. 14 (p. 800).

suffragisque patroni nostri Germani juvantibus, que in Cumbis villa, quo venerabile atque sanctissimum ejus corpus delatum est, divinitus gesta sunt, piis conatibus narrare aggredimur. Cujus p̄eclara miracula quo magis narrantur, eo amplius juvat a p̄e narrationis non discedere tramite. Igitur cum quidam puer, Dagoenus nomine, ex familia ejusdem monasterii, surdus et mutus omniumque membrorum officio destitutus ex ea infirmitate quam græci paralysin dicunt, ad p̄esnatam villam ubi beatissimum Germani corpus positum erat, manibus parentum cum fide non modica deportatus esset, ita est subito meritis ipsius gloriosissimi pontificis totus pristine redditus sanitati, ut loqueretur pariter et audiret. Et qui ad sanctissima opimi confessoris membra aliorum manibus devectus fuerat, ovans ac letabundus proprius cœpit ire vestigiis. Isque a terra qua jacebat, incolmis surgens cum celsa voce atque alacritate cordis illis qui aderant, siebat : *Ecce adest beatus Germanus, per quem me totum ab omni corporis incommoditate agnosco curatum.* Sed et tellus quam diu debiles non presserant gressus, est stupefacta ab invalidis quondam tam subito contingi<sup>1</sup> plantis. Quam mirabilis Deus in sanctis suis, qui per famuli sui Germani merita hujuscemodi fecit miraculum.

**24 (1).** Sed et illud quod in eadem villa ad laudem et gloriam nominis sui per euindem p̄eclarum Germanum, Parisiacæ urbis antistitem, divina dignata est ostendere virtus, ad ædificationem audientium seu legentium multum proficere credimus, si conscriptionis stilo tradatur. Due namque mulieres in jam dicta villa erant longo jam tempore fatigatæ a febribus, quibus nulla medicorum ars subvenire poterat ut ab eadem liberarentur incommoditate. Ex qua febrium violentia ita fessæ extiterant, ut vix jam pedibus incedere valerent. Que cum fide recta ad ecclesiam pergentes qua sanctissima domini Germani membra posita erant, petierunt a custodibus ut saltem sub tanti pontificis venerabile

<sup>1</sup> ultima i supplata a corr.; oīis litteris abrasis.

(1) Aimoin. num. 15.

corpus eis transitus præberetur. Quæ cum licentiam transseundi ab ipsis accepissent, ita exemplo ab eadem sunt infirmitate curatæ, ut nullam ulterius<sup>1</sup> molestiam neque læsionem corporis paterentur. Sed et febris quæ antea solita erat ipsarum corpora graviter fatigare, sic meritis et intercessione almi Germani pulsa recessit ab eis, quatenus ipsa deinceps contingere non auderet. O beate Germane, quam gloriosus inter hymnidicos angelorum choros fulges in cœlis, qui tanta beneficiorum munera languentibus præstas in terris.

**25 (1).** Aliud quoque insigne miraculum quod omnipotens Deus per eumdem famulum suum, beatissimum Germanum, quando ex Cumbis villa ejus venerabile corpus ad monasterium unde delatum fuerat, referebatur, est agere dignatus, manifestare ac prædicare placet in populis. Nam cum ex præsata villa tanti præsulis Christi Germani beatissima membra ad monasterium a monachis eum hymnis et laudibus deportarentur, contigit ut cereus qui ante ejus corpus ardens lucensque deferebatur, flante validissimo vento in laterna qua positus erat, extingueretur. Cumque cum equo velocissime quis ad villam pro lumine ire voluisse, in ipsa laterna qua extinctus manebat, cœlitus est actum ut omnibus qui aderant, tamquam si extinctus non esset, rutilans appareret. Liquido patet quod idcirco eum Dominus extingui permisit, ut merita domni Germani in cerei illuminatione clarescerent. Tunc in eodem loco a fidelibus populis crux lignea ponitur, ut illud miraculum quod ibi gestum est, a futuris populis non ignoretur. Omnes enim qui aderant, videntes quod factum erat, Christum Dei Filium laudaverunt, qui meritis famuli sui Germani tale peregit miraculum.

**26 (2).** Factum est autem ut ipsum Dei famuli Germani sanctissimum corpus deferendo cum magnificientia et honore, ad Teodaxum, ejusdem sancti villam, perveniretur. Cumque jam eidem cum ipso sancto propinquaretur corpore, venerunt

<sup>1</sup> cod. alterius.

(1) Aimoin. num. 16. — (2) Num. 17, pars prior.

ei obviam custodes ecclesiæ ipsius ac plurima pars fratrum et reliquus populus omnis quibus posse fuit, albis induiti vestibus. Suscepéruntque illud cum gloria Deique laudibus, atque ante ipsum usque ad fluvium qui dicitur Biber, psallendo ierunt. Ipso autem fluvio beatissimo cum corpore transitu, ostensa est ibi virtus divina, superiori scilicet per omnia similis, quam loquendo non promere arbitramur fore peccatum. Quidam quoque cum ardente cereum ante sanctissima illius deferret ossa, volens pius Dominus eodem in loco quem admodum et in aliis meritum sanctitatis domini ostendere Germani, accidit ut extingueretur. Ex qua cerei extinctione is qui eum gestabat manibus, valde est tristis effectus. Sed omnipotentis Dei gratia quæ corda muerentium semper consolari solet, etiam illi non desuit, cereumque qui extinctus fuerat, meritis præcipui confessoris Christi Germani illuminavit. Unde cuncti qui illic aderant, omnipotentem Dominum laudaverunt; gloriosissimi meriti apud eum esse Germanum, universi populi testati sunt.

**27 (1).** Venerabilis vero Ebroinus, divina largiente gratia pontifex summus, verusque hujus monasterii pastor, illuc ubi prædictum dignatus est rex cœlorum monstrare miraculum, obviam ei venit, omnesque hujus monasterii fratres albis induiti vestibus, infinitusque exercitus clericorum sive laicorum cum eo, cum capsis evangeliorum crucibusque ac cereis seu cum reliquo apparatu ecclesiæ. Quiad terram sese projicientes gaudioque præ nimio flentes, exceperunt illud beatissimum corpus cum honore magno et reverentia, cum laudibus et hymnis, cœperuntque ante illud ire psallendo. Præfatus quippe Ebroinus, antistes egregius, et quidam seniores hujus monasterii fratres, quorum vita actusque imitandi sunt, sanctissimum Dei famuli<sup>1</sup> Germani corpus propriis humeris gestaverunt. Cumque ad portam monasterii ventum esset, cœperunt fratres magna cum voce hymnum Te Deum laudamus, ante ipsius pontificis summi corpus decan-

<sup>1</sup> cod. famulum.

(1) Aimoin. num. 17, pars posterior.

tare. Posueruntque illud super altare sancti Stephani protomartyris, ubi tamdiu mansit, donec translationis ejus festa, quae octavo Kalendas Augustas celebratur, adveniret. Cumque opata dies adesset ut suo restitui deberetur sepulcro, accessit memoratus Ebroinus, pontifex summus meritoque sanctitatis ornatus, ad altare beati Stephani, quo sanctum ejus corpus positum erat, suscepitque illud ex eo cum quibusdam fratribus Deum timentibus, et collocavit eum cum melu ac tremore, cum laudibus et hymnis in suo sarcophago quo prius jacuerat<sup>1</sup>, laudantes ac benedicentes Dominum. Tunc jam dicitus venerabilis pontifex dedit quasdam res partibus ipsius sancti ad luminaria ejus augenda, quatenus ipse pro eo plus apud Dominum intercessor existeret.

**28.** Aliam quoque visionem quae<sup>2</sup> post relationem corporis ipsius sancti aliquibus hujus monasterii fratribus revelante<sup>3</sup> Deo patefacta est, silentio premere non oportet. Nam quadam nocte viderunt super ecclesiam domini patroni nostri Germani per tres vices tantæ claritatis splendorem, ut tota ab ipsis arbitraretur incendi, cum nihil lesionis ignium sustineret. Quid enim in hoc facto aliud perpendere debemus, nisi divinam atque angelicam fuisse visitationem, quam ob merita ejusdem devotissimi famuli sui clementissimus Deus est dignatus ostendere? Sed et hoc credendum<sup>4</sup> est: quoniam beatus Germanus suum valde diligit corpus, cum quo sempiterne felicitatis præmia certus est obtinere, idcirco tam occulte quam manifeste euindem locum quo ejus felicia membra quiescunt, invisere sepius non desistit. Agamus grates Domino Deo nostro<sup>4</sup> innumeratas, qui tanta in terris propter jam dicti famuli sui merita monstrare miracula.

**29(1).** Nec illam visionem silendo praeterire debemus, quae<sup>5</sup> cuidam istius monasterii fratri quadam nocte per visum revelata est. Nam cum positus esset in sopore, vidi beatum Germanum ante altare sancti Stephani protomartyris stantem,

<sup>1</sup> ita corr.; prius jacuerant? — <sup>2</sup> ita corr.; prius qui. — <sup>3</sup> cod. credendum. — <sup>4</sup> ita corr.; prius nostra.

(1) Aimoin. num. 18.

galeatum ac loricalum, et quasi ex campo certaminis veniens nimium fessum. Aspergitque cunclos hujus monasterii fratres in dextera parte consistere choi, indutos candidissimis vestimentis. Qui in sedili quod ibi bene preparatum erat ad sedendum, ut isdem frater viderat, residens, vocavit eos ad se, jussitque ut ad deponendum ea que portabat, juvarent. Qui cum proprius accessissent, interrogavit eos, dicens: *Ubi sunt Normanni qui meum corpus effodi fecerunt, istudque monasterium destruxerunt?* Qui respondentes dixerunt: *Domine pater, recesserunt de loco isto.* Bene, inquit. Jam in hac visione prefigurabatur quod postea veraciter factum esse cognovimus. Nam ultus est ex inimicis suis, qui ob injuriam sui ejus beatissima membra effodi fecerunt, monasterium destruxerunt, famulos sibi servientes inde ejecerunt: et nunc (Deo gratias) felici potitus victoria, in suo ut antea requiescit sepulcro.

**30 (1).** Vertamus nunc juvante Domino, nostræ conscriptionis stilum ad ea narranda qualiter supradicti Normanni, blasphematores Dei, ex hac vita defecerunt. Ab eo enim die quo monasterium alni Germani ingressi sunt, donec cuncti penaliter interirent, ita sunt, sicut jam diximus, dysenteria turgentique inflatione percussi, ut maxima eorum pars quotidie moreretur. Ipsi enim qui ad propriam pervenerunt patriam, præter illos quos rex eorum, Horich nomine, postea jussit occidi, eodem quo et ceteri morbo sunt interempti. Cumque ad proprium devenirent solum, venit Ragenarius dux, auctorisque totius mali<sup>1</sup> quod in christiano diximus populo factum, ante prefatum Normannorum regem cum ingenti superbia, ostenditque ei aurum argentumque multum, quod ex christianorum asportaverat terra, et dixit ei quod civitatem Parisius captam habuisset, monasteriumque Germani, quod in eadem terra magnificentissimum est, intrasset, omneque regnum Karoli regis sibi subjugatum haberet. Rex autem talia narranti non credens<sup>2</sup>, jussit ei jam dictus Ragenarius trabem ex monasterio domini Ger-

<sup>1</sup> littera a suppletiva a corr., alia abrasa. — <sup>2</sup> corr. cum non crederet.

(1) Aimoin. num. 13 init. et num. 12.

mani et seram portæ Parisiacæ urbis in testimonium afferri. Inter cetera retulit ei narrando quam bonam quamque fertilem ac omnibus repletam copiis invenisset terram, et quod nullam ei similem unquam reperisset, sed populum ipsam incolentem, plus omnibus aliis ad dimicandum trementem 5 ac pavidum. Referebatque ei dicens quod in christianorum terra qua fuerat, majorem haberent mortui virtutem quam viventes, nullumque ex tanta populi multitudine sibi resistentem invenisset, praeter unum senem, Germanum nomine, cuius corpus e suo fecerat effodi sepulcro, quo per trecentos 10 eoque amplius jacuerat annos. Haec quoque dum diceret, tremens ac pavens corruit in terram, ingentique caput voce clamare, Germanum coram se adsistere, et baculo quem manu gestabat, graviter flagellari<sup>1</sup>. Tunc rex universique principes ejus qui illic aderant, ex hoc quod acciderat, nimio 15 terrore percussi, mirati sunt. Isdem vero Ragenarius, blasphemator Dei omniumque sanctorum, qui tumido ac superbo corde ante regem venerat, humiliatus ac confusus atque a beatissimo Germano fortiter flagellatus, aliorum manibus est delatus ad propria. Qui maximis per tri- 20 duum tormentis afflictus atque cruciatus, præcepit unam statuam fieri auream, et per missum Ludowici regis Germano deferri, qui ibi præsens aderat, quando jam dictus blasphemus ab ipso sancto percussus est viro. Isque cum jurejurando spopondit se, si ex ipsa ejus intercessione 25 evadere mereretur infirmitate, christianum fore futurum, Deumque christianorum deinceps aliis omissis adoraturum, atque in eum firmiter crediturum. Sed quoniam non erat ex oīibus Christi neque prædestinatus ad vitam, idcirco quod petebat, obtinere non meruit. Nam ita extitit totus inflatus 30 ac turgidus, ut nec auditus nec visus nec odoratus, sed neque gustus in ejus corpore appareret. Cumque taliter esset a Deo suis pro meritis flagellatus, crepuit medius, diffusaque sunt omnia viscera ejus in terram. Sieque miserrimus vitam finivit. Illoque mortuo in suumque abeunte locum, eamdem 35

<sup>1</sup> sic.

auream statuam videntes alii quod mittenti non proficeret, a missis Ludowici regis recuperunt.

**31 (1).** Ceteri vero qui remanserant, quotidie moriebantur. Et non solum ipsi, sed etiam quicumque eos tetigisset, 5 extemplo intestino morbo percussus deficiebat. Timens autem præfatus rex Normannorum ne et ipse quemadmodum et alii morte pessima interiret, jussit omnes qui residui erant, decollari, corumque capita christiano populo tradi. Sicque factum est, Deo pro populo suo licet peccatore<sup>1</sup> 10 pugnante, beatoque Germano erga eos viriliter decerlante, ut ex tanta populi multitudine qui christianorum fines intraverant, nullus remaneret praeter quatuor qui fuga lapsi sunt, quos nec postea mortis exilium credimus evasisse. Præfatus autem rex Normannorum jussit cunctos captivos 15 qui christianitatis vocabulo censebantur, in regno suo perquiri, eosque cum reverentia et honore in suam unde captivati fuerant patriam absque alicujus contradictione reverti. Ecce, victoram quam populus pro peccatis suis ex inimicis christianorum habere non valuit, beatus Germanus, Par- 20 siacæ urbis pontifex summus, solus apud Deum obtinere promeruit. Gratias agamus Domino Deo nostro, qui per eundem devotissimum famulum suum hujuscemodi fecit victoram, cui sit honor et potestas, decus et imperium per infinita secula seculorum. Amen.

**32 (2).** His ita ut effati sumus veraciter gestis, libet modo ea miraculorum ovando<sup>2</sup> subnectere signa, quæ postea cœli ac terræ Dominus per beati pontificis Germani merita glorirosa ad laudem et gloriam sui nominis in ipsa ecclesia qua ejus beatissima membra debito quiescunt honore, est dignatus pandere luce clarius. Quæ si narrentur et per populos, ita ut gesta sunt, prædicentur, credimus quorundam corda inertium ad amorem Dei et ad querenda supernæ felicitatis præmia, torpore depulso ignaviæ, fortiter excitanda.

<sup>1</sup> Iste suppletam a corr. — <sup>2</sup> prius quando?

(1) Aimoin. num. 13. — (2) Lib. II, prolog. (p. 801).

**33 (1).** Fuit quædam mulier in pago Oxeminsæ orta atque educata, Ermentrudis nomine, quæ ita per novem annorum curricula extitit genibus contracta, ut posterior pars pedum ejus natibus jungeretur, et, nisi aliorum manibus esset devecta, nequaquam de loco ad locum propriis valeret incedere gressibus. Cumque eam Dominus per gloriosissimum Germanum, Parisiacæ urbis antistitem, curare voluisse, apparuit sibi in somnis mirabilis visio. Nam quadam nocte, cum gravi fuisse depressa sopore, vidi duas virgines speciosissimæ formæ atque incredibilis pulchritudinis coram se 10 adsistere, veluti nobis ipsa postea narrando retulit; quæ ita sunt eam affatae, dicentes: *Surg: ex proprio quo debilis multo jam tempore decubas lectulo, atque te Parisius ad domini pontificis Germani sepulcrum jubeas deportari. A quo firmissime noscas ex propria corporis debilitate curawlam.* Quæ a somno 15 quo tenebatur oppressa evigilans, cœpit parentibus suis ac reliquis hominibus ea quæ viderat loquendo referre, ac per ordinem rei pandere veritatem. Illis autem non credentibus quod fieri unquam posset quatenus ab eadem mereretur infirmitate sanari, dicebant vana eam somniorum illusione 20 deceptum et nullatenus deinceps ad pristinam fore sospitatem corporis remeandam. Alia queque nocte eadem sibi visio in somnis apparuit, atque ab ipsis jubetur virginibus ut se cum omni celeritate ad dominum præcepisset deferti Germanum. Ipsa autem a somno exsurgens, propinquis suis quæ 25 secundo viderat, indicavit. Illis autem ut prius ex sua relatione dubitantibus atque eam pro somniorum narratione graviter increpantibus, extitit nimium tristis effecta. Tertia vero nihilominus nocte eadem virginis pulcherrimæ formæ atque gloriosissimi aspectus sibi sunt presentatae, blando- 30 que ac leni eam allocutæ sermone: *Confortare, inquiunt, et esto robusta; in proximo est ut a domino ac beatissimo curaris Germano.* Cumque ipsa ex parte a somni oppressione fuisse, rursus quæ viderat, his qui aderant mœrendo referbat. Unus vero eorum, germanus ejus qui præ ceteris 35

(1) Aimoin. lib. II, num. 1.

carior ei fuerat, verbis illius fidem accommodans, imposuit eam cum omni velocitate super jumentum suum, atque ad beatissimi Germani monasterium cum fide non modica seu cum omni celeritate perduxit. Eadem quippe nocte qua ad sepulcrum domini Germani, patroni nostri, delata fuit, cum a fratribus ipsius monasterii more solito matutinorum solemnitas celebraretur, cœpit subito meritis ipsius sancti nodositas atque contractio nervorum ejus resolvi et in antiquum reverti officium. Quæ præ dolore corporis magnam vocem emittens, jussit sibi a quadam fratre ejusdem monasterii baculum qui juxta eam positus erat, celeriter dari. Quo accepto, surrexit a terra qua debilis atque contracta antea jacuerat, et per singula altaria ejusdem ecclesie lumen gestans in manibus ac gratias cunctipotenti Deo referens, proprius cœpit ire vestigiis. Haec quoque mulier quam debilitas genuum longo cruciaverat tempore, per beatissimi Germani merita gloriosa, ita est redditæ sanitati, ut suis diu desiderata mereretur tellurem contingere plantis.

**34 (1).** Nec illud etiam transeunter præterire debemus mirandum quod ob supra memorati præsulis Christi Germani merita veneranda, in eadem ecclesia qua cœberrime nonnullis sanitatum munera præstantur languentibus, opifex coeli terreneque Dominus est dignatus ostendere. Nam quidam juvenis ex pago Bagasino, Hillemodus nomine, ita renibus contractus tribus continuo extitit annis, ut genuum ac tibiarum seu pedum pro ipsorum renium dolore privaretur officio. Qui nisi manibus fidelium luc illucque deportatus aut sustentatus esset, aliter incedere non valeret. Quadam namque nocte cum deditus esset sopori, veluti nobis ipse postea referendo narravit, vidi quemdam virum egregiae formæ ac candidissimi vultus coram præsentia consistere sui, cuius pulchritudo non humana sed angelica putabatur. Quem debilem atque jam a recuperatione sue sanitatis desperatum ita vir sanctus qui eidem in somnis apparuerat, consolando allocutus est, dicens: *Noli, fili mi, noli nimium ex tua corporis infirmitate*

(1) Aimoin. lib. II, num. 2 (p. 802).

*tristari. Jam enim imminet tempus ut a Deo, summi pontificis Germani meritis et intercessione, cureris. Tu autem a somno exigitando consurgens, jube te cum omni fiducia ac celeritate ad sepulcrum præfati deferri antistitis, a quo sine mora et absque aliqua tarditate scito te pristinam sospitatem corporis et recepturum.* Is autem a somno quo tenebatur oppressus exsurgens, et de superni munera promissione non dubitans, poposcit se humili cum prece a fidelium populorum turbis Deum timentibus quantocius ad egregii confessoris Christi Germani ecclesiam deportari. Cumque ad eam delatus esset et festivitas translationis ejusdem adveniret sancti, in ipsa vigilia sanctæ translationis, cum hora nona primum signum ad rependendas Deo gratias pulsaretur, ante jam dicti gloriosissimi Germani sepulcrum manibus fidelium sese devehi cum omni fidei et spei devotione præcepit. Ibi cum Deum beatissimumque Germanum pro recuperatione sue sospitatis ac propriis intenta exoraret mente delictis, antequam fratres ipsius monasterii nonam more solito decantalam haberent, a terra qua infirmus et debilis paulo ante jacuerat, coram oculis omnium fratrum illic adstantium ac laudes Christo Domino decantantium, ita subito sanus atque incolumis surrexit, ut nullam molestiam corporis, Deo miserante ac meritis domini Germani juvantibus, ulterius pateretur. Tunc ipse ad cœlum manus extendens atque venerandum altare beati Stephani deosculans, gratias immensas retulit Deo, qui eum meritis seu suffragio egregii Germani pontificis mirabiliter ab eadem qua diu detentus fuerat, infirmitate curavit. Et non solum ipse pro reddita sibi sanitate, sed etiam omnes qui viderunt et cognoverunt quod factum fuerat, gratias cunctipotenti Deo non modicas rependerunt, qui ob famuli sui Germani merita recolenda tale peregit miraculum.

**35.** Aliud quoque quod ipsa die qua<sup>1</sup> et superius, id est vigilia translationis corporis alni Germani, Parisiacæ urbis venerandi antistitis, in ipso Dei templo omnium rerum creator, ad ostendenda ipsius sancti merita est operari dignatus mira-

<sup>1</sup> cod. qui.

culum, non deceat ut inter cetera que ab ipso beatissimo gesta sunt viro, non numeretur miraculorum signa. Hydropici enim hujusmodi est natura<sup>2</sup>, ut quo magis biberit, eo valentior semper silis acerescat. Et avarus quanto magis nummorum atque temporalium rerum augetur pecuniis, tanto magis eas ardenter atque avidius concupiscit, ut scriptum est: Avarus divitiis non impletur; et ut quidam veracissimus poetarum ait: Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit. Ita quo magis beati Germani, patroni nostri summique præsulis Christi, veneranda recoluntur miracula, eo amplius cor narrantis, Domino favente ac meritis ipsius sancti suffragantibus, ad enarranda accenditur vel inflammatur.

**36(1).** Fuit quidam puer (ut putabatur) duodennis, ex pago Aurelianensi atque ex familia beati Benedicti confessoris Christi, Amalbertus nomine, ita contractus ab infantia renibus ac genibus, ut nullam ex jam dictis corporis partibus prope potestatem haberet. Qui licet aliquantulum pedibus incedere valuisse, tamen renes ac genua in ejus corpore contracta et quasi penitus mortua videbantur. Et non solum ea quæ diximus, iam dictus patiebatur puer, sed etiam ita mutus ab ineunte ætate extiterat, ut vix que ab eo dicebantur, intelligi quivissent. Cujus in ore lingua potius strepitum quam verborum sonum personabat. Isdem vero puer misceratione bonorum hominum de villa in villam ac de domo in domum delatus, tandem ad ecclesiam beati pontificis Germani qua ejus felicia membra quiescunt, deductus est. Ubi cum vespertinorum synaxis a fratribus ejusdem monasterii et<sup>3</sup> vigilia sanctæ translationis corporis domini sweepediti Germani more solito celebraretur, cœpit ipse puer pro nimia corporis angustia atque relaxatione nervorum pallescere, sudare et magnas in eadem ecclesia voces emittere. Factum est, Deo propitiante ac meritis pœclari confessoris Christi Germani juvantibus, ut antequam fratres vespertinale offi-

<sup>1</sup> cod. naturæ. — <sup>2</sup> rex et add. man. rec.

(1) Aimoin. lib. II, num. 3 (p. 562).

cium peractum atque decantatum haberent, a terra qua debilis antea jacuerat, sospes atque incolumis videntibus omnibus qui illic aderant, gratias omnipotenti Deo seu beatissimo Germano referendo exsurgeret. Et qui antea prope mutus extiterat, retinaculis linguae solutis, auxiliante Domino 5 extemplo perfectam verborum seriem ex proprio cœpit ore proferre. Cumque omnibus qui in eodem Dei templo ob tam præcipuam festivitatem congregati erant, notum esset quod gestum fuerat, Deo gratias totis viscerum præcordiis rependerunt, qui tanta ac talia in terris propter famuli sui Germani 10 merita est dignatus monstrare miracula.

## ACTA

## SANCTI AGATHONICI

MARTYRIS

ET SOCIORUM

NUNC PRIMUM EDITA

E CODICE LEIDENSI.

Acta greca quæ ex Leidensi codice Perizoniano n. 10 (1) nunc primum lucem aspiciunt, prædecessores nostri viderunt, habueruntque e codice Vaticano C. 1671, una cum versione latina e codice Vaticano n° 6188. Neutrū ediderunt: prætulerunt enim breve quoddam aectorum compendium. Cfr. J. Pinnum, ad diem 22 Augusti, commentario prævio ad Acta SS. Martyrum Agathonici, Zoticī, Theoprepī, Acindynī, Sererianī, Zenonis ac principis renatoris (2). Nos haec acta, quæ, quamquam plane sincera non aestimamus, compendio nihilominus non uno ex capite præferimus, Analectis inscrimus, ut sanctorum studiosis amplior eorumdem cognitio præbeatur.

Μαρτύρων τοῦ μεγαλουμάρτυρος Ἀγαθονίου.

1. Εὐ ἀργῆ διδίκων τοὺς ἵστου μαθητὰς δὲ ἀγαθὸς Ἰησοῦς δὲ Χριστὸς, ἐλέγεται· Λίγοι δίκαιοι βοῶ πρός με Ἀβελ, τοῦ δὲ Θυσέως πρώτου, καὶ τῶν προφήτων, ἵως αἴματος Ζαχαρίου καὶ τοῦ ἥμου ἀγίου

Martyrium magni martyris Agathonici.

1. In principio docens suos discipulos bonus Jesus Christus, dicebat: Sanguis justus clamat ad me Abelis, in sacrificiis primi, ac prophetarum usque ad sanguinem Zacharie, et meum sacrum sanguinem ex

(1) De quo diximus in præfationibus ad Acta edita in tomo I *Analect. Boll.* —  
(2) *Act. SS.*, LIV Aug.